



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. III. De distinctione voluptatum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

66 GULIELMI SCRIBONII
CAP. II.

De continente & incontinente.

Quis dicitur Continens?

Qui á voluptatibus abstinet, quibus plerique succumbunt.

Circa quas res versatur continens?

Circa pravas & vehementes cupiditates, & omnisque generis voluptates.

Ergone idem est ejus subjectum quod temperantis?

Est: Versatur enim uterq; circa voluptates, sed non eodem modo: Intemperans enim cum corruptam habeat rationem, cum electione agit. Incontinens veró integra & sana ratione, nihilominus ad scelera perpetranda rapitur.

Quomodo igitur plenius distinguuntur incontinens & intemperans?

Intemperans sponte & cum electione voluptates sequitur: Secus autem incontinens. Item: Intemperantem factorum suorum non pœnitet: ideoq; insanabilis est: verum incontinens pœnitentia plerunque ducitur.

Uter igitur deterior est?

Intemperans.

CAP. III.

De distinctione voluptatum.

Circa quas potissimum voluptates versatur continens?

Circa naturales.

Quomodo

Quotuplices statuis voluptates?

Duplices: Aliæ enim absolutè sunt jucundæ, quæ omni animantium generi conveniunt: Aliæ non sunt per se jucundæ, & præter naturales dicuntur, sed vel ex morbo, vel consuetudine vitiosa & depravata natura nascuntur. Ejusmodi voluptas fuit Lamie, quæ incisis gravidis mulieribus fœtus devorare fuit solita.

Recurre ad medicos de appetitu gravidarum mulierum.

Annon circa postremum quoque genus continentia versatur?

Beluina voluptas sub vocabulo incontinentiæ continetur, non ut sub genere, sed propter similitudinem. Est enim duplex incontinentia: alia absoluta, alia autem in ira, pecuniis, honoribus, ac ferinis etiam voluptatibus cernitur, quæ cum additione illarum rerum exprimitur.

CAP. IV.

Quanam deterior sit Incontinentia.

Utrum minus turpis est, iræ, an cupiditatis incontinentia?

Ira: Videtur enim hæc quodammodo patere rationi, quamvis eam non attentè audiat, more ministrorum, qui præposterè munus aliquod obeunt, antequam omnia quæ præscribuntur audierint, abeunt, ut deinde officio defint. Sic iræ fervore natura incitata audit quidem rationem, sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se convertit: Sed cupiditas qualicumque motu ad perfruendas voluptates rapitur.

Ira furor brevis est.